

gustanis feliciter confirmata; ut Imperator & reliqui Catholici Status nihil quicquam tentent contra protestantes, sed iis liberum religionis exercitium permittat; Contra nec protestantes quicquam facere debent, quod ad Catholicos opprimendos facit. Optandum foret, hæc pacta publica ubique semper religiosè observari, tunc nulli intuitu religionis iniquè inferretur injuria, sed cuique pro sua conscientia illæsis suis bonis ad meliorem religionem tutò transire liceret.

**M**agistratus est abominabilis coram Deo, qui impium delinquentem absolvit, & justum iniquè condemnat, *Proverb. 17. v. 15.* ratio est, quia crimina lege Divinâ capitalia juxta Dei judicium impune remitti non debent: Impunitas enim delicti est incensivum delinquendi. Ideo dicit Ambrosius *1. officior.* qui parcit malo, is bono nocere intelligitur; Ergo si Magistratus latronem, filiorum latronis deprecatione motus, vel lachrimis conjugis latronis flexus, absolvendum putet, cui adhuc impius latrocinandi aspirat affectus, vel funditus inhæret; nonne talis Magistratus innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? &c. *vide caus. 23. q. 4. can 33.* Ex hoc fundamento sequitur, quando crimen lege Dei est mortale, quod nemo mortalium delinquenti veniam justè concedere possit, vel debeat; ratio est, quia Deus, quo nemo est superior, mortalia delicta capite plecti jubet: fiat ergo Dei voluntas, fiat, & vigeat justitia, & pereat mundus. Moriatur Absolon, & vivat Israel. Quo respectu non minus piè quam prudenter Chrysostomus *in c. 5. Matth.* dixit, quod misericordia absque justitia sit fatuitas, & justitia absque misericordia sit crudelitas; Magistratus enim non frustra gestat gladium, sed ad vindictam nocentium *Rom. 3.* cum Deus ipse per Moysen præceperit: auferes malum de medio tui. Attamen poena sit temperata, ac delicto proportionata, ut delictorum puniatio iniquitatis & malorum sit medicina, non crudelitas & venenum.

*Magistratus* omnis à Deo est constitutus, *Rom. 13 v. 1. & 1. Petr. 2. v. 13.* ad reprimendam malorum audaciam & malitiam; & ad tuendam proborum innocentiam. Quoniam sine legum fræno domus nulla, nedum civitas, aut respublica conservari potest. Imperia enim sine Magistratu sunt magna latrocinia, teste *Augustino.* nam sicuti armenta sine pastore errabunda vagantur, sic etiam hominum